EXIMIO VIRO REVERENDISSIMO P.F. PASCHALI A VARISIO LECTORI EMERITO...

Angelo Cherubini

Digitized by Google

92

EXIMIO VIRO

REVERENDISSIMO P. F.

PASCHALI A VARISIO

LECTORI EMERITO

CATHOLICAE MAIESTATIS IN REGALI MATRITENSI CONGRESSU

PRO IMMACULATA VIRGINIS CONCEPTIONE

THEOLOGO, MORUM SUAVITATE

PROBITATE, DOCTRINA, PRUDENTIA PRAECLARO

HUMILLIMI SERAPHICI GREGIS

ORNAMENTO, DECORI, PRAESIDIO, INCOLUMITATI A SUPERIS DELECTO

POST ITERATAM PROVINCIAE SUAE MEDIOLANENSIS PRAEFECTURAM

ET CISMONTANAE FAMILIAE PRAESIDENTIAM

TOTIUS ORDINIS MINORUM

MINISTRO GENERALI RENUNCIATO

CAROLI III.

DONO, MUNIFICENTIA INTER HISPANIAE MAGNATES COOPTATO

BONARUM ARTIUM NITORI, CULTUI ADDICTISSIMO

STUDIOSAE IUVENTUTIS AESTIMATORI PERSPICACISSIMO

MOECENATI OPTUMO.

P. F. ANGELUS CHERUBINUS

DE FLORENTIA

ORDINIS MINORUM OBSERVANTIUM

IN COENOBIO OMNIUM SANCTORUM THEOLOGIAE AUDITOR

SPECIMEN THEORIAE JURISPRUDENTIAE

PRO ACADEMICA DISPUTATIONE, IN QUA SINGULIS, QUAMLIBET OPPUGNANDI PROPOSITIONEM FACULTAS CONCEDITUR; CONCINNATUM, EXPOSITUM

IN OBSEQUENTIS ANIMI MONUMENTUM

C. D. O.

BIBLIOTECA NAZIONALE 1872 FIRENZE

FLORENTIAE ANNO MDCCLXXII.

TYPIS REGIÆ CELSITUDINIS APUD CAJETANUM CAMBIAGI

SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Ταῦτα τῶν συλλογισμῶν καὶ τῶν γραμμῶν καὶ τοῦ κεχηνέναι πρὸς τοὺς ἀστέρας ἐκ οὐ μακροῦ προτιμήσει τις εὐφρονῶν; ἐκεῖνο ἐνθυμηθεὶς ὅτι συναγόντων μὲν πάντων, ἢ γεωμετρούντων ἢ ἀστρονομούντων, οὐδὲν ἂν ὁ βίος ἡμῶν παρὰ τοῦτο ὠφεληθείη ὅτι μὴ καὶ τὰ πάντα λυθήσεται τούτων δὲ ὧν εἶπον ἀναιρουμένων ἀταξία τὸ πᾶν καὶ σύγχυσις.

HAec vero (ſcilicet officiorum documenta) nonne ſyllogiſmis & Lineis, hiantiſque animi in ſtellis defixioni multum anteponet, quiſquis mente ſana fuerit? illud ſecum reputans quod ſi ad ſyllogiſmorum concluſionem, vel ad Geometriam, aut Aſtronomiam, omnes ſtudium ſuum, atque operam contulerint, nihil ea res vitae humanae profutura ſit, quin potius omnia diſſolvi, ac labefactari neceſſe erit; Contra, ſi ea officia quae a me commemorata ſunt de medio ſublata fuerint, ſumma, omnium rerum, perturbatio & confuſio ſit.

Gregorius Nazan. Orat. 23.

Diſputatio habebitur Florentiae in Eccleſia Omn. SS. praeſide P. F. GABRIELE *de Balneo S. Theologiae Lectore* *Idus Septembris. A. Æ. C. M. D. C. C. L. X. X. II.*

AD PRAESTANTISSIMUM DOMINUM

REVERENDISSIMUM PATREM FRATREM

PASCHALEM A VARISIO

P. FR. GABRIELIS DE BALNEO MINORITAE

THEOLOGIAE LECTORIS

IN SPECIMEN JURISPRUDENTIAE.

PRAEFATIO.

QUum in dies ſingulos rerum Copiam ad Juriſprudentiam ſpectantium admirarer, quae nondum eſſent congruis doctrinis illuſtratae, eſſentque cognitione digniſſimae, deſiderio ſum incenſus eas ſedulo meditandi. Itaque, & dum Juventuti mihi commiſſae Philoſophiae, & Matheſeos rudimenta exponerem; & modo Theologiae ſublimiora ſtudia proſecutus; ad illa de Jure Naturae & Gentium inſcripta opera, quae in ſuo genere nedum excellentiora habentur, ſed prope etiam ex iis tota Juriſprudentiae naturalis doctrina profluxiſſe exiſtimatur, ſerio laborem contuli. Sed fateor, in illorum Auctoribus, adverſus Catholicam Eccleſiam, veritatemque proinde; quam velint, nolint, ſapientiae, & maxime morum Doctrinae Magiſtram fateantur oportet; eadem enim, atque una Chriſti, & Eccleſiae vox infallibilis; praeoccupatum animum; & quod magnopere dolendum, quum inſtaurandi, ornandi, expoliendique Jus noturae, mentem & curam oſtentant, errores quibus aut funditus evertatur, aut multum la-

befactetur, enerveturque pernicioſe tradere animadvertiſſe. Non hic eſecrandos aliquorum, ſed qui minus in illis Juriſprudentiae Magiſtris condemnantur errores, recenſebo. Ferme omnium illorum una vox, eſt, libero Dei imperantis decreto, Actiones honeſtas evaſiſſe: totius Juſtitiae pondus, vel a Regentis poteſtate, vel a Populorum utilitate derivandum: Jus Univerſale Gentium, Vitae futurae conſiderationem excludere, cum Argumentum ab immortalitate Animorum, ratione naturali, atque gentium conſenſu firmatum, ad Homines intra officiorum limites continendos, ſit omnium validiſſimum; huic enim tota innititur de Religione Doctrina: Sanctos Eccleſiae Patres Juriſprudentiam naturalem, vel ignoraviſſe, vel neglexiſſe penitus: atque eo arrogantiae devenere, quod Hominum, & maxime populorum mores, quin in auxilium Juriſprudentiam poſitivo = Divinam vocarent, perfecte componere poſſe ſibi perſuaſerint, quum etiam vel in officiorum aſſignandis principiis, turpiter deficiant.

Ad hanc Scientiam conſequendam, & ad vitae officia tenenda, ac tuenda, peracris, & levior factus Auguſtini lectione; atque laboribus, & vigiliis quas tot, tantaſque ſuſcepit, hominis ad integram honeſtatem formandi gratia, excitatus; Juriſprudentiae Naturalis, ex ipſis Patrum operibus Athenagorae, Clementis Alexandrini, Origenis, Lactantii, Baſilii, Gregorii Nazanzieni, Ambroſii praeſertim, Auguſtini, Cryſoſtomi, Hieronymi, Leonis, Gregorii Magni, quos omnes in praefatione, quam gallicae operis Puffendorfii Verſioni a ſe illuſtratae praemiſit Barbeyracus impudenter carpit; ſolidiora principia detegere curavi: atque indemoſtrandis hiſce praeceptis, non inadequatis, & obſcuris notionibus, non probabilibus tantum Argumentis, ſed aſtruere omnia demonſtrationibus ſcientificis, quas γραμμικὰς ἀνάγκας, appellare quis jure poſſit; obſervavi.

Juriſprudentiae inſtitutiones propterea, ſumma licet brevitate, concinnavi; atque notiones, Principia, Theoremata omnia, doctrinis ab iiſdem Patribus petitis exponere, declarare, confirmare ſategi: cuius quidem ſpecimen iſtud eſt, quod tibi Reverendiſſime Pater, qui has res melius quam quiſquam noſtrum tenes, non ingratum futurum puto: optime novi, quantum conſilio, opere, Patrocinio laboraveris, ut moralis chriſtianae documenta, quae quamlibet Juriſprudentiae partem complectuntur, ad verae ſapientiae normam pertractarentur. Tantum abs Te peto, ut tenuiſſimam hanc laboris partem (namque tui ſuffultus Patrocinio majora donabo) comiter & placide accipias. Hanc quidem a nobis, cum liberalitas tua, tum etiam virtus, atque animi moderatio extorſit.

V A L E.

Digitized by Google

PRINCIPIORUM
JURISPRUDENTIAE THEORIA.

NIſi aliquid praeterit quod aequis legibus mortale genus contineat, de publica, privataque felicitate actum eſt omnino. Nulla igitur facultas, Juriſprudentia utilior; illa ſcilicet diſciplina aequi, bonique, qua leges & legum principia cognoſcuntur, operationeſque a noſtra pendentes libertate in verum bonum diriguntur, earumque honeſtas vel turpitudo examinatur. Huius egregiae artis principia expoſituri per varios articulos rem totam, abſolvemus.

ARTICULUS I.

De Boni, & aequi Natura.

II. J*Uſti, bonique* natura tunc prorſus innoteſcet, cum ſarta, tectaque apud nos erunt ſequentia principia, atque theoremata.

III. Res, ſi ea habeat, quae cum Natura ſua conveniunt, nihilque ei deſit, ut fini ſuo correſpondeat, audit perfecta: Imperfecta è contra

IV. Bonum eſſe ſtatuo quod Dominum ſuum meliorem, hoc eſt perfectum efficit, & conſtanter cum Eo a quo poſſidetur manet.

V. Illius dicitur Actio a quo proficiſcitur: quatenus vero principium intelligens, auctor eſt actionis, vel omiſſionis voluntariae, ſeu liberae, eatenus illi imputatur; & quidem ad laudem, & meritum ſi bona fuerit, ad vituperium, & poenam ſi mala.

VI. Exiſtit Numen aeternum, quod ſapientiſſimis legibus hanc rerum univerſitatem verbo virtutis ſuae e nihilo eductam, moderatur.

VII. Deus incommutabiliter bonus, fons bonorum, omne genus boni continet: unde per Eum perfici, explerique tantum poteſt, quicumque perfectionis, & felicitatis amore incenditur.

VIII. Felicitatis & ſi mavis, verae, & nullis damnis obnoxiae voluptatis amorem, ſolus Deus ſatiare poteſt.

IX. Finis propter quem operatur homo, eſt ſui Felicitas, Deus ergo eſt Finis propter quem fieri debent, quaecumque aliquo fiunt Officio.

X. Hominis Mens inexterminabilis, conſilio libereque agendi facultate donatur, unde & ordinis phyſici immutabiles leges; nec non firmiſſimas regulas, iuxta quas liberas ſuas moderetur operationes optime cognoſcit.

XI. Actio hominis libera quae illius perfectioni correſpondeat, dicitur honeſta, ſive moraliter bona; turpis autem ſeu moraliter mala, ſi illius perfectioni repugnet.

XII. Cum fieri nequeat, ut id, quod hominis perfectioni correſpondet, illi adverſetur; dantur propterea actiones, quae per ſe honeſte ſunt; ſicuti è contra.

XIII. Neque enim actionum bonitas, ab appetitu, ut Hobbeſius; neque a ſpe, vel timore, ſicuti Spinoza; neque a voluptate, & dolore, quem in nobis commutabilia bona creant, quemadmodum olim de grege porcum Epicurus, & noſtris temporibus Elvetius; neque tandem cum Pſeudo = politicis, ab utilitate menſuranda eſt: ſed a correſpondentia earumdem cum ultimo fine, in cujus aſſecutione hominis perfectio conſiſtit.

XIV. Si Mens ſibi conſtans fuerit, atque ex ingenerato ſibi habitu actiones ſuas ad propriam perfectionem, nempe ad incommutabilis boni aſſecutionem referat; virtute decorata dicenda erit.

XV. Quod ſi mens vanis corruptibilium bonorum deſideriis, ab incommutabili bono recedat, vel animus jactator ſui, in alio, quam in ſolo virtutis, & omnis boni auctore, & largitore Deo glorietur, vitioſus exiſtimandam.

XVI. Hinc Stoicorum virtus vera ſuperbia eſt: nihil enim tam virtutis adverſum, quam virtutis vana opinio; nec tanta claritas ulla eſt, quam elatio non obſcuret.

XVII. Cum Tyrannorum turbam, libidinem, Avaritiam, Superbiam adverſus nos pugnare ſentiamus, & miſerum mancipium, unuſquiſque noſtrum, qui is ſubiicitur fiat, ne vix de propria aſſequenda perfectione cogitet: idcirco ad virtutem non proprio ſtudio, ſed Supremi numinis cuncta regentis auxilio, nos adduci credendum. Quare de ipſa virtute ſtulte gloriari minime fas eſt; & in virtute Deum, minime vero nos ipſos amare debemus.

XVIII. Declarata bonitatis, & Virtutis indole, quid vitium ſit appareт; ſcilicet repugnantia cum propria perfectione ſive ab incommutabili Bono averſio, & ad bona commutabilia converſio.

XIX. Sub Iuſtiſſimi Dei Imperio, Virtutis amator, ſuarum adinventionum fructum comedet, illique bene erit: Ita fiet impio retributio manuum ejus. Cum autem haec praemiorum, poenarumque

que diſpenſatio non quidem in hac vita fiat; admittenda ergo eſt Animorum immortalitas, atque aeterna, quae poſt hanc futura eſt; vita.

ARTICULUS II.

De ſtatu Hominum naturali.

XX. EXpoſita Hominis natura, & vi rerum optimarum, quam mens humana continet, & cuius muneris colendi efficiendique cauſſa natus, & in lucem editus eſt: explicandum remanet quae ſit conjunctio hominum, quae naturalis ſocietas inter ipſos, ut fons legum & Juris, inveniri poſſit.

XXI. Status naturalis hominum; conditio nempe illa, in qua homines conſtituti intelliguntur, ad certum actionum genus, naturae conſectaneum obeundum; eſt ſtatus ſocietatis, & pacis, quaecumque tandem ſit forma illius. = Mais ils naiſſent tous lies les uns aux autres: un Fils eſt ne aupres de ſon Pere, & il s'y tient. Voila la ſociété, e la cauſe de la ſociété =

XXII. Erravit Hobbeſius, poſt Cretenſium Legislatorem, cum naturalem Hominum, & ſocietatum ſtatum, Bellum eſſe pronunciavit.

XXIII. A vero prorſus aliena eſt Iacobi Rouſſeau Hypotheſis, quae pro exponendo naturali Hominis ſtatu; Hominem Belluam ſupponit; Cibum ſub quercu colligentem; ſitim ad primum aquae rivum extinguentem; quietemque nocturnam ſub ipſa arbore, quae victum illi ſuppeditavit carpentem.

XXIV. Decipitur quoque Puffendorſius, ſi Hominem in ſtatu naturali a quacumque cum ſuis ſimilibus excludat relatione.

XXV. Mirum! Cur non erit ſtatus naturalis ille qui, etiam omnino indeclinabilis? Talis eſt ſocietas ob coexiſtentiae neceſſitatem.

XXVI. Status autem ſocialis inutilis, imo noxius; ſine coexiſtentiae Ordine, a quo publica poteſtas proficiſcatur.

XXVII. Publica igitur Poteſtas, ab ipſo Ordine naturae derivanda. Seditioſum igitur eſt Iacobi Rouſſeau ſyſtema, nullam in Civili ſocietate poteſtatem recognoſcentis, quae a natura derivanda ſit.

XXVIII. Status ſocietatis, eſt ſtatus reflexionis, qui nequit, non eſſe naturalis; cum reflexio ſit exercitium facultatis, mentibus noſtris inditae ab ipſa natura.

XXIX. In naturali igitur ſtatu, Dei Creatoris, huius univerſi provvidi Gubernatoris; hominumque Patris amantiſſimi notionem haberemus.

XXX. Ordinem quoque naturalem detegere potuiſſet homo, adeoque

 ſui

ſui perfectionem cognoſcere; ſuam libertatem experiri, Ideaſque propterea bonitatis & malitiae referare.

XXXI. Iuſti, ſive Iuſtitiae initium, jure propterea a natura profectum dicimus; ut etiam quod conſuetudine factum Ius fuit, a natura ſaltem leviter tractum, deinde aluerit, & majus fecerit uſus; atque in morem poſtea vetuſtas vulgi approbatione perduxerit.

XXXII. Notiones igitur Iuſtitiae rigoroſae acceptae, honeſti, & decori, non vana hominum opinio; ſed quaedam innata vis naturae menti inſeruit.

XXXIII. Quae ſane Iuſtitiae Generalis partes, etiam in ſtatu naturali ab ivicem diſtinguendae forent; & quidem non ea ratione, qua illas ſeparat Thomaſius.

XXXIV. Amor propriae conſervationis, ſive amor ſui quò maxime in ſtatu naturali hominum actiones regerentur optime cum notionibus Iuſti, Honeſti, & Decori, ſociale foedus iniret.

XXXV. Immo Homines, regulas ad quas creata libertas ſe determinare obligaretur etiam in ſtatu naturae recognoſcerent, religioſeque ſervarent, quo facilius quiſque ſuam perfectionem, & omnes naturalem ſocietatem tuerentur.

Haec de naturali Hominum Coniunctione: quos ratione ornatos, civiles ad Iuſtitiam legis edidit natura; hos Deos colere, Civitates conſtituere, benevolentiam exercere juſſit. Pudeat ergo Iacobum Rouſſeau, qui per ſocietatem, quaſi per quamdam praevaricationem naturae officia, & primordia in nobis confuſa; conturbataque exiſtimans, ad Beſtiarum mores, & affectiones nos appellare ſtudet. O praeclarum naturae indagatorem!

ARTICULUS III.

De Legum Natura, Origine, ſpeciebus, & affectionibus.

XXXVI. TAnta eſt Legum neceſſitas, atque utilitas, quod ni eſſent, non utique haberet homo ubi ſe certius inſpiceret, ut videret unde averteretur, quo conaretur; quare gratularetur, quid praecaretur. Tanti igitur refert noſſe Legum naturam, vim, atque indolem; quanti intereſt veram conſequi felicitatem.

XXXVII. Mentem utpote liberam, facultatem habet ex aeque poſſibilibus id eligendi, quod ipſi arridet: atque unumquemque hominum in duas partes, & quidem contrarias diſtrahi, invictè ſentimus: affectibus enim, quaſi quibuſdam nervis, & funibus ingenitis, trahitur invicem, retrahiturque ad contrarias actiones, ubi virtus, & vitium diſcreta verſantur. Qua autem conſilio praeditus eſt homo, caeteris omnibus obnitendum eſſe; inclinationemque illam ſemper ſequen-

Digitized by Google

quendam. Neque relinquendam, quae propriae perfectioni conducit, clarè cognoſcit, ſibique intime perſuadet. Haec aurea rationis, & ſacra *dictio*, cum homini ſervanda proponitur, Lex dicitur.

XXXVIII. Cum igitur Lex, graecè Νόμος vel Θεσμοι, regula, & norma ſit, ex judicio rationis firmata, atque hominibus propoſita, ad quam libertatem obligantur determinare; ne aliquid ſine ſufficienti ratione admittatur, aliquos recognoſcere debemus quibus potius, quam aliis competat jus Leges ſervandas proponendi apud quos etiam reſidere credendum vim atque efficaciam, qua poſſint, propoſitis legibus, homines, obſequentes reddere.

XXXIX. His expoſitis conſtat quam clariſſime, qua nam definitione exponenda ſit Legis natura Lex eſt regula actuum humanorum expreſſe ſancita, ab eo qui poteſtatem habet illam proponendi, ſecundum quam inducitur, ſeu obligatur aliquis ad aliquid agendum, vel ab agendo retrahitur, ſub poenae comminatione: ſive potius: Lex eſt ordinatio rationis ad bonum comune ab eo qui curam habet Comunitatis (cui prae caeteris hoc jus competit) promulgata, & debita ſanctione munita, cui Libertas ſe determina re, obligatur.

XL. Grotii, & Wolphii definitiones optime cum natura Legis conſentiunt: ſed Thomaſii, & Puffendorfi veluti incompletas reiicimus.

XLI. Execranda prorſus eſt Hobbeſii Definitio; qua Lex dicitur, mandatum ſive praeceptum, in quo parendi ratio, ſumitur a voluntate praecipientis. Sed quid melius ab eo qui *Ius imperiale* a potentia irreſiſtibili omnino derivat?

XLII. Enormiter quoque erravit, in aſſignando diſcrimine Conſilii a Lege. Tam enim in Conſilio, quam in Lege ratio quare paremus ſumitur ab ipſa re, quae conſulitur, vel praecipitur: atque haec tantum intercedit diſtinctio Legem inter, & conſilium. Lex ea praecipit, quae neceſſaria ſunt ad conſequendum finem; Conſilium vero, oportet eſſe de illis, per quae melius, & expeditius homo finem, quem Lex reſpicit, conſequi poſſit.

XLIII. Puffendorfius nonne & ipſe in aſſignando Legis a Conſilio, diſcrimine Hobbeſii veſtigia proxime praeiit? Et ille ergo reiiciendus.

XLIV. Iterum ergo ſtatuamus Leges eſſe Decreta, vel voce naturae, vel publica auctoritate ſancita, quibus vel actiones Ordini naturae, & Conſuetudini, abipſa natura profectae conſentaneae praeſcribuntur; vel contrariae prohibentur: unde Lex non jus conſtituit; ſed jus declarat.

XLV. Lex cum obligationem includat; non video qua ratione ſimplex permiſſio; ſilentium ſcilicet Legislatoris relate ad quaſdam actiones, *Lex* vocari poſſit; ni forte quaeſtio de ſolo nomine procedat.

XLVI. Poteſtas Legum ferendarum, non a potentia irreſiſtibili, vel vi adigendi ad poenas transgreſſores derivanda eſt.

XLVII. Neque in Legislatore jus imponendi Leges a voluntaria ſub dito-

Digitized by Google

ditorum ſubiectione oritur; vel a Cura quam ſibi aliquis gerere proponit, de ſubiectorum bono; vel a Beneficiis elargitis.

XLVIII. Contingentium rerum ſeries ſicuti eſſentialiter Dominum a quo creata, & ordinata fuerit, & a quo propterea dependeat, reſpicit; ita Providum Gubernatorem, cui curae ſit ſapientiſſimis eam regere legibus expoſtulat. Hominum ſocietates & ipſae contingentes, nedum primi Rerum omnium Domino imperio ſubeſſe credendum; ſed Rectoribus indigere, quibus totius ſocietatis bonum cordi ſit, omnibuſque modis exquirant. Ut igitur Rerum omnium contingentium Supremus Rector, huic occurreret neceſſitati, voce naturae ſuoque imperio, Cuſtodes, & Patres ſocietatum deſtinavit.

XLIX. Penes Deum ſapientiſſimum Rerum omnium Dominum; ſummum jus imponendi Leges.

L. Cum Princeps, & Rector ſocietatis, ſit publica Poteſtas Dei in Terris, Divinaeque Majeſtatis imago, cumque Iure naturae homines ſocietati deſtinentur, quae ſine publica poteſtate qua moderetur, repugnat omnino; idcirco, qui Princeps in ſocietate dominatur, ab ipſomet Deo, ſic etiam natura expoſtulante, normam Poteſtatemque ſuſcipit gubernandi, legeſque ferendi. Patet nunc unde Ius imponendi Leges derivandum ſit, quaeque ſint Legum origines.

LI. Modo quod ſpectat ad Legum ſpecies. Lex vel in ſe conſideratur; quatenus eſt norma determinans voluntatem; vel relate ad actiones quas praecipit, aut vetat; vel ad ſua principia a quibus proficiſcitur, tandem ad rationes quibus nobis manifeſtatur.

LII. Quamvis Legum ſpecies inquirentes, de iis loquamur, quae verae leges ſunt; tamen ut praeſens hominis ſtatus clarius innoteſcat, diſtinguendum inter Legem mentis, Legem Carnis, Legemque peccati.

LIII. Primum, verumque Legis genus inſito nobis bono conſentaneum eſt: nempe ſi ad interiorem conſtitutionem redeamus, rationis Lumine Leges boni ab ipſo Deo ſancitas cognoſcimus ipſiſque condelectamur, & acquieſcimus; atque a violatione illarum ſicuti ab omni malorum origine abhorremus.

LIV. Alterum Legum genus principium habuit, ex quo primus Homo circumventus mandatum Dei violavit. Animam noſtram in perturbationis pleniſſimas plerumque cogitationes, ac phantaſias conjici, & ad deteriora ſequenda miſerrimè abduci, unuſquiſque noſtrum perſentiſcit. Haec ſane ad malum pronitas, quae Lex Carnis dicitur, non niſi a naturae, per peccatum, inducta corruptione, oriri potuit. Quam corruptionem cum ignoraverint, vel in Legum doctrina negligendam eſſe putaverint Philoſophi, idcirco non niſi imperfectam tradidere officiorum doctrinam.

LV. Poſtremum Genus per peccatum ex ipſa Cupiditate in membris noſtris habitat, eſtque habitus peccati per malam conſuetudinem in nobis roboratus, magna vi Legi mentis obſiſtens; noſque in vilem,

miſe-

Digitized by Google

miſeram, acerbamque redigens ſervitutem. Ex qua voluntatis, Intellectus deinde depravationem oriri, ſuſtinemus.

LVI. Actiones quae a Legibus praeſcribuntur, vel bonae ſunt, & Populorum felicitati opitulantur ex quibuſdam tantum circumſtantiis, ita ut iiſdem permutatis, eaſdem actiones prohibere, vel ſaltem non exigere oporteat: vel actiones ita correſpondent Hominum perfectioni, ut ſemper rectae, ſemper juſtae, ſemperque laudabiles ſint. Hinc Legum temporalium, ab aeternis diſtinctio.

LVII. Si Leges ad Earum referantur originem; vel Divinae ſunt, vel humanae. Leges Divinae cum ab uno indiviſibili principio proficiſcantur, ex hoc reſpectu, haud multiplices ſunt: non ita Leges humanae.

LVIII. Imperia religione, & populorum concordia maxime conſiſtunt. Duae Poteſtates, quae invicem conjurant amice, ſibique dant opem, huic duplici bono invigilant. Una Principum eſt, qui bonum Civium curant, ſibique ſubiectos Populos moderantur, eorum concordiam ſervant; & dum Religioni afferunt robur, ab ea viciſſim accipiunt: Altera Sacerdotibus committitur qui dum depoſito religionis cuſtodiendo invigilant, inter alias, ſacrae Doctrinae Leges praeclare conſtitutas, hanc populos docent, ut ſublimioribus Poteſtatibus, non ſolum propter iram, ſed propter conſcientiam, obtemperent. En Legum Civilium, & Eccleſiaſticarum Origo.

LIX. Tandem ſi Leges conſiderentur juxta diverſas rationes quibus nobis manifeſtantur: aliae ſunt naturales, quae ſcilicet lumine naturae deprehenduntur, aliae poſitivae, quae nobis per determinatas Legiſlatorum ſanctiones proponuntur. Neque ſpernenda eſt altera Legum diſtinctio, qua ſecernuntur in ſcriptas ſeu poſitivas, & non ſcriptas, ſive ſola hominum approbatione, & conſenſu receptas. Inter iſtas praeter Leges naturales, patriae Conſuetudines recenſentur, quae Legis virtutem obtinuerunt.

LX. Legis genericè inſpectae affectiones, penetrata Legis difinitione manifeſte colliguntur. Colligitur nempe, quod Lex debeat eſſe honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum patriae conſuetudinem, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, perſpicua, nullo privato comodo, ſed pro communi utilitate, a publica poteſtate ſancita.

LXI. Inter varias Legis affectiones, obligatio primo ſeſe offert conſideranda.

Obligatio Legis, vinculum ſcilicet a jure nobis impoſitum, quo ad aliquas actiones faciendas, vel omittendas moraliter adſtringimur; non a comminatione poenae derivandum eſt: Comminatio poenae,

ſive ſanctio Legis, Eo tantum reſpicit, ut cupiditatis impetus, adverſus praeſcripta Legis coerceat.

LXII. Imo cum poena, quae ob tranſgreſſionem Legis infligitur culpam ſupponat, culpa autem non habeatur ſine violatione obligationis; obligatio antecedit comminationem poenae.

LXIII. Homo ſi virtuti, & ſuae perfectioni conſulere velit, propoſitum finem conſequi, & de ſummo Numine optime mereri; ſicuti adſtringitur ad aliquas actiones perpetrandas, ita alias omittere tenetur: Cum autem impoſſibile ſit idem ſimul eſſe, & non eſſe: ſi perfectionem aſſequi velit, bonas actiones tenetur exercere, a malis ſe abſtinere: Leges autem cum circa iſtas verſentur actiones; hinc Legum obligationis primum fundamentum.

LXIV. Leges in Atheorum Republica ſicuti a legittima poteſtate haud proponerentur nulla enim poteſtas niſi a Deo: ita nullam vim obligandi continerent, cum virtutis, & honeſtatis notiones vanae apud illos omnino forent.

LXV. Promulgatio eſt neceſſaria Legis affectio. De ratione Legis eſt, quod ſit norma actionum humanarum, vimque obligandi obtineat: oportet ergo, quod hominibus, qui ſecundum legem operari debent, applicetur; huiuſmodi vero applicatio, habetur cum Lex in Eorum notitiam, per promulgationem deducitur. Eſt ergo promulgatio neceſſaria Legis affectio.

LXVI. Penes Legislatorem eſt, quod Leges debita ſerventur ratione: quare ſi contingat, quod aliqua Lex, quae multitudinis commodo correſpondeat; conveniens autem non ſit huic vel illi perſonae, in hoc vel in illo caſu: Poteſtas, ſive Rector facultatem habet diſpenſandi in Lege.

LXVII. Diſpenſare abſque ratione, & pro ſola voluntate, repugnat fideli Legum diſpenſatori.

LXVIII. Ab eodem Legum diſpenſatore, interpetrationes *authenticae*, nempe, quae vim Legis habeant, petendae ſunt.

LXIX. Quod ſi rectae rationis Iudicio, veris principiis innixo manifeſte cognoſcatur, aliquod abſurdum admittendum, aequalitatem juſtitiae, vel comune bonum violandum eſſe, ſi aliquis peculiaris caſus ſub lege comprehenderetur, cum aequitate, Lex interpetranda. Hinc quae dicitur Legum *Epichia*.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS IV.

De partibus Iuriſprudentiae, variiſque Legum Syſtematibus.

LXX. CUm Juriſprudentiae, artis nimirum, leges perfectionem hominis concernentes cognoſcendi; actioneſque ipſius hominis ſecundum leges eaſdem moderandi, partes aſſignandae ſunt: huius diviſionis ratio, vel a Legibus ipſis quarum notionem complectitur; vel a diverſis actionibus quas dirigit; vel a variis modis, diverſiſque formis, juxta quas a Juriſtis pertractari ſolet; mutuanda eſt.

LXXI. Si ad Leges igitur comparetur Juriſprudentia in Divinam, & humanam; utraque vero in naturalem, & poſitivam dividi ſolet. Si vero ad actiones, in Legislatoriam, Conſultoriam, & Judicialem ſecernenda. Tandem ſi ad varia Legum ſyſtemata a Juriſtis concinnata, in Univerſalem, & Peculiarem, veluti in univerſaliſſimas partes diſtribuitur.

LXXII. Juriſprudentia particularis alicuius Reipublicae Leges exponit, cujus partes propterea juxta propoſitum ſibi Ordinem varioſque reſpectus, quos ad Leges habebit Reſpublica, quilibet determinare poterit. Iuriſprudentia vero univerſalis leges contemplatur, quibus totum vel fere totum Genus humanum regitur, moremque gerit. Cum vero homines vel in ſe conſiderari poſſint; vel quatenus magnas, aut parvas ſocietates componunt, & quidem, naturali, vel civili, aut ſacro Religionis vinculo adſtricti; hinc Iuriſprudentia univerſalis primo dividitur in abſolutam, ſocialem, & Oeconomicam.

LXXIII. Iuriſprudentia ſocialis ſtatum hypoteticum ſocietatis conſiderat, atque de legibus pertractat ad quas homines, utpote ſocietatis illius Cives, libertatem determinare obligantur, quae erunt vel ſacrae, vel Civiles. Ita Oeconomica leges minoribus ſocietatibus propoſitas conſiderat.

LXXIV. Iuriſprudentia *abſoluta*, ſolis ex hominis natura, & nuda ſocietatis notione derivatis legibus, ſingulorum hominum, vel ſocietatum officia moderatur. Quae ſanae Iuriſprudentia, cum naturae leges, & conſequentias immediatè deductas regendis actionibus cujuſcumque Gentis, vel ſocietatis maxime applicat; Iuris Gentium peculiari nomine deſignatur.

LXXV. Jus Gentium, eſt ipſum Jus naturale vitae hominis ſociali, negotiiſque ſocietatum, atque integrarum Gentium applicatum: nempe iiſdem ferme naturae legibus quibus hominis cum alio homine, & Patris cum Filiis, Filiorumque cum Patre, reguntur officia; magnarum etiam ſocietatum moralis perſonae characteres induentium ad

in-

Digitized by Google

invicem, Principis cum Subditis, & ſubditorum cum Principe officia, a Jure gentium exponuntur.

LXXVI. Cum Jura ſocietatis exponuntur, vel officia conſiderantur, quae quodlibet ſocietatis membrum ſervare debet; vel Jus quod dirigit actiones ſocietatum ad Juſtitiam, & Salutem publicam, in ſuo genere perfectam: idcirco mihi arridet Jus Gentium, in Jus Hominum ſive privatum; & Jus Civitatum, ſive Jus publicum ſecernere.

LXXVII. Juris Gentium notione expoſita, aſſerimus imperfecte tantum, atque incomplete per illud exponi officia Gentium; & Jure poſitivo Divino quae deſunt ſupplenda eſſe.

LXXVIII. Excludendam minime eſſe a Jure Gentium conſiderationem vitae futurae, contra ac ſenſere Puffendorfius, & Thomaſius: Leges enim naturales quibus regitur ſanctione carerent; hominesque non quales ſunt, ſed pro ut imaginarentur reſpiceret.

LXX X. Hoc Problema difficilis ſolutionis eſt: an cum profectu, vel potius Doctrinae de officiis detrimento Jus univerſale independenter a revelatione tractetur? Qua propter en principia è quibus benigne Lector reſolutionem fortaſſe deduces.

LXXX. Praeciſo revelationis lumine, ratio in nobis eadem ſe prebet, ac fuit in gentilibus Philoſophis.

LXXXI. Sola naturali ratione facile etiam in principiorum delectu errare poſſumus.

LXXXII. Qui de Jure Univerſali, independenter a Revelatione ſcripſerunt, errores contra rationem ipſam docuere.

LXXXIII. Si è morum Doctrina poſitivo Divina jura Hominum, & gentium mutuentur, officia omnia apte, & adequate exponi poterunt hominesque recte infallibiliterque dirigi ad propriae felicitatis obiectum. Quae nam reſolutio apponenda ſit, vides.

LXXXIV Reprehenſione propterea digni non ſunt SS. Eccleſiae Patres, & Eccleſiaſtici Doctores, ſi ex Evangelio Morum doctrinam potiſſimum deſumere conſuevere: Nam ea ducti ratione praeſtabant, quod per Evangelium, Jus naturae in tota ſui perfectione exponatur.

LXXXV. Meramque Proteſtantium calumniam eſſe propugnamus aſſertionem illam, qua audacter affirmant, SS. Eccleſiae Patres Juriſprudentiam naturalem neglexiſſe: Imo cum occaſio poſtulabat tanta energia illius principia, atque praecepta expoluere, ne illis comparandi ſint heterodoſſi doctores. Egomet teſtis ſum principia, & praecepta Juris naturae perfectius ſola Auguſtini, & Ambroſii lectione didiciſſe, quam Proteſtantium diuturna, & laborioſa Lectione.

LXXXVI. Scholaſtici quoque Doctores, Thomas praeſertim, & D. Bonaventura, illorumque Diſcipuli non pauci, Juris naturalis Doctri-

ctrinam maxima cum energia expoſuere, ut ipſemet Grotius fatetur.

LXXXVII. Exponenda forent alia Legum Syſtemata: Ethica nimirum Politica, & Moralis Chriſtiana: ſed paucis haec omnia praeſtabimus. Ethica Juri univerſali correſpondet, niſi fortaſſe velis honeſtatem atque decorum potius, quam Iuſtitiam actionum exponere; ſed hoc diſcrimen arbitrio hominum appoſitum fuit. Politica ſi utilitatem in actionibus perquirat, atque ab honeſto, & juſto praeſcindat, non Legum ſyſtema conſtituit, ſed principia ſtatuit virtuti inimica; ſi vero notionem verae utilitatis conſideret, a Juriſprudentiae partibus jam aſſignatis neſcio quomodo diſtinguatur.

LXXXVIII. Moralis Chriſtianorum Theologia principia mutuatur ad ſua regenda Judicia a qualibet Juriſprudentiae parte actioneſque conſiderat quatenus bonitatem, & malitiam continent, internamque mentis perfectionem reſpiciunt: quomodo nobis merito, vel demerito adſcribentur; tandem quatenus media ſunt ad aeternam Beatitudinem obtinendam; cujus quidem felicitatis ſpe, regitur hujus mortalis vitae felicitas.

LXXXIX. Pluris ergo facienda eſt quolibet licet accuratiſſimo Juriſprudentiae naturalis ſyſtemate.

XC. Differentia autem Moralis Theologiae, a Jure univerſali non inde petenda, unde illam deſumpſere plerique Proteſtantium. Sed moralem Chriſtianorum Theologiam ideo a Jure univerſali differre credendum; 1. quia hominis depravationem, & qua ratione medicam manum appoſuerit Omnipotens oſtendit. 2. quia verbo Dei infallibili regitur, & nedum omnia nobis exponit, quae a ratione cognoſcuntur officia; ſed nobis ea tradit, quae obcaecatae rationi incognita ſemper fuiſſent. 3. quia moralis Theologia nedum quid hominem deceat, exponit; ſed auxilia, quibus officia contra impetus affectuum adimpleantur, oſtendit, atque referat.

XCI. Leges quotquot ſunt, vel Deus; cui ſuper omnes homines ſupremum dominium, vel Homines ipſi ſocietatibus propoſiti firmavere. Leges igitur vel divinae ſunt; & hae aut naturales, aut revelatae; vel humanae, atque iſtae vel Civiles, aut Eccleſiaſticae. Aſſignatis ergo Juriſprudentiae partibus variiſque Legum ſyſtematibus ut commodiori forma principia cujuſcumque partis Juriſprudentiae exponere poſſimus; ipſam prout ad Leges refertur conſiderabimus, adeoque in quatuor partes illam diſtribuemus.

AR-

Digitized by Google

ARTICULUS V.

De Juriſprudentia Naturali Divina.

XCII. JUriſprudentia Naturalis Divina eſt ſcientia Legum naturalium, quibus homines obligantur: ſive naturalis habitus practicus cognoſcendi, applicandique quibuſvis actionibus Leges ab ipſo Deo Immortali, generi humano per rectam rationem promulgatas. Quae nam ſit notio, & indoles Legum naturalium, quae nam potiora illius principia exponendum.

XCIII. Leges naturales quarum modo notio inquiritur; eaedem ſunt leges aeterno = divinae, quae nobis lumine rationis innoteſcunt: Opus ſcilicet rationis aeternae infallibilis, cui citra errorem, quid rerum creatarum perfectioni correſpondeat, cum notum ſit; regulas omni exceptione majores ſimpliciſſimas, univerſaliſſimas firmavit, ad quas homo libertatem ſuam determinare debet ſi ſui perfectionem acquirere exoptet, quas ſi frangat a virtute, & perfectione deflectat opus eſt Praeſtat ergo determinare Legum aeternarum naturam; ut ſubinde conſtet indoles Legum naturalium.

XCIV. Rem per difficilem aggredimur. Sed adeſto animis, & rationis vias pietate freti ingrediamur. Nihil eſt enim tam arduum, atque difficile quod non, Deo adjuvante, planiſſimum, atque expeditiſſimum fiat. Lex aeterna eſt ſumma infallibilis Dei ordinatio, quae invariabiles humanorum Actuum menſuras ex ratione aeterna proponit; quarum obſervatio in omnibus locorum Perſonarum, & temporum circumſtantiis ſemper recta eſt nec umquam talis eſſe non poteſt; & juxta quas temporalis quaelibet Lex juxte fertur, recteque mutatur. Nempe ſumma illa ratio per quam malis miſera, Bonis beata decretatur vita; quae ut omnia ſint ordinariſſima praeſcribit; jubens ordinem naturalem conſervari, vetans perturbari; nonne Jure Lex aeterna dicitur?

XCV. Lex naturalis nil aliud eſt quam participatio Legis aeternae in rationali creatura = nempe cognitio illius invariabilis normae ab aeterna divinaque ratione firmatae juxta quam vivere tenentur Rationales creaturae. Mens excellentiori quodam modo Divinae ſubiacet providentiae, unde & ab ipſa participatur ratio aeterna, per quam correſpondentes determinationes cognoſcit ad debitum actum, & finem: huiuſmodi autem participatio vocatur Lex naturalis.

XCVI. Quare cum Legis naturalis exiſtentiam adverſus exleges viros propugnamus, per infallibilia rationis Judicia quae nam actiones, aeternae Dei ordinationi conſentaneae ſint, quae nam vero

illi repugnent, conſtare defendimus. Sive ab ipſo Deo immortali Leges aeternas ſuae ſapientiae correſpondentes per rectam rationem generi humano promulgatas fuiſſe, ſuſtinemus.

XCVII. Cum aeternae Dei rationi repugnet res a ſe creatas ad aliquem finem ordinatas non eſſe; cumque per ordinationem ad finem legibus ſubiciantur rationales creaturae; cum nequeat Deus ſimul velle rationales creaturas; fini correſpondere debere, & ab eligendorum mediorum, quae ſunt ad finem, obligatione immunes eſſe; ita enim ordinaſſet, & non ordinaſſet ad finem: idcirco repugnat creaturas rationales quibuſdam legibus ſubiectas non eſſe.

XCVIII. Leges igitur naturales non a libera Dei ordinatione dependent, ac ſi Leges illas omittere potuiſſet Deus, vel oppoſitum ordinare. De Jure naturae peſſime merentur quamplurimi Proteſtantium, id pernegantes.

XCIX. Cum Leges omnes naturales eo reſpiciant, ut homo operetur congruenter rationi aeternae, proprioque fini correſpondeat; cumque actiones quas praeſcribunt ordini aeterno ſemper correſpondeant: idcirco irrevocabiles ſunt, nulli exceptioni, vel diſpenſationi obnoxiae, ſemperque, & ubique illorum vinculo adſtringimur.

C. Juris naturae obiectum ſunt actiones a Libertate pendentes; & quidem, nedum illae quae juſtitiam erga alios, ſed etiam illae quae religionem erga Deum, propriamque perfectionem reſpiciunt; nedum externae, ſed etiam internae. Sive earum directio immediate derivetur ex univerſaliſſimis principiis intimo ſenſu notis, ſive a judiciis per ratiocinium ab iiſdem principiis deductis.

CI. Finis Juris naturae non eſt aliquod bonum quod praeſentis vitae ambitu concludatur, neque propria cujuſque utilitas, ſi haec ab honeſto ſecernatur.

CII. Quamvis Felicitas ſine obſervatione Juris naturae conſequi nequeat, tamen obligatio ſervandi jus naturae non inde petenda.

CIII. Tam longe abeſt a vero ex blandis vel moleſtis ſenſationibus Leges naturae mutuandas eſſe; quin potius lege naturae, aliquando blandas refugere, moleſtas amplecti debemus: neque ob id Legem naturae noſtro bono, & amori adverſari, imo maxime correſpondere credendum.

CIV. Jam conſtat naturalis Legis indoles. Quae nam ſint Juriſprudentiae naturalis principia, modo videndum: Haec ſane haud ſunt propenſiones voluntatis, ſed ſpeculativa principia lumine naturae cognita: non ſcripta, ſed nata, quae non didicimus, accipimus, legimus, verum e natura ipſa arripuimus, hauſſimus, expreſſimus, ad quae non docti, ſed facti, non inſtituti, ſed imbuti ſumus

CV. Num inter Juriſprudentiae naturalis principia intimo ſenſu cognoſcibilia, aliquod detur, a quo Officia omnia, & Leges derivari poſ-

Digitized by Google

poſſint, magna controverſia eſt. Rem tanti momenti paucis expediemus.

CVI. Unicum principium, & principem legem, a qua caeterae omnes determinari poſſint, abſque ulla equivocatione & in qua tandem reſolvantur demonſtrationes omnes, admittendam eſſe ſuſtinemus. Sicuti enim leges omnes eo reſpiciunt, ut Homo ultimo & unico fini correſpondeat: omneſque actiones honeſtae nil aliud ſunt, quam ad proprium debitumque finem correſpondentia, ita lex qua Homo ad ultimum deſtinatur finem, erit Prima regula vitae, norma aliorum principiorum, prima Lex, caeterarum Legum omnium fundamentum.

CVII. Hobbeſii, Thomaſii principia omnino reiicienda; redolent enim Epicureiſmum. Wolphius equivocam tradit perfectionis notionem; idcirco, & aequivocatione laborat illius principium.

CVIII. Valentini Alberti Axioma = Actiones hominis cum ſtatu integritatis convenire debent = non eſt per ſe notum, imo lumini naturae impervium.

CIX. Omnes illae propoſitiones = Servandus eſt ordo naturalis = Sectanda propria perfectio = actiones cum Divina Sanctitate congruere debent = cum identicae ſint, nihilque aliud exprimant, niſi = ſervandum eſſe Ius naturae = haud admittendae veluti primaria Iuris naturae principia.

CX. Amor ſui, & erga alios commiſeratio, niſi ex alio primario principio determinentur, ut plurimum ordini repugnant, propriaeque perfectioni. Non ſunt ergo admittenda veluti primaria Iuris naturae principia.

CXI. Quamvis ex appetitu, & amore ſocietatis non omnes naturae leges; quinimo amor iſte ex alio principio derivandus: tamen enormiter errant, qui ad refellendum Grotii principium pernegant, ſocietatis appetitum naturalem eſſe; nullumque, praeter neceſſitatem, & indigentiam ſocietatis fundamentum recognoſcunt. Hi enim funditus Ius naturae evertunt. Nequeunt enim conſequentiam immediatè connexam cum ſuis principiis pernegare, ni ſimul principia reiiciant. Naturalis ſocietatis amor ex principiis Iuris naturae derivatur, qui igitur hunc pernegant; evertant principia neceſſum eſt.

CXII. Burlemaquii, & Heinecci principia niſi alia ratione, ea ſaltem, quod unitatem excludant prima dicenda non ſunt: ſed cum Heineccius triplicem amorem, ex propriae felicitatis amore derivet; cumque equivocam felicitatis notionem ſtatuat; idcirco eadem equivocatione illius Principia laborant. Idque manifeſte colligitur ex ſecunda propoſitione quae noſtri amorem reſpicit.

CXIII. Iuſtitia, honeſtas, atque decorum, tota denique officiorum ſumma haec eſt, aeternis incommutabilibus bonis, temporalibus incertiſque

tiſque poſthabitis, tamquam proprio fini adhaerere; Id ſolo amore praeſtatur. Virtus ergo in hac vita, quid quaeſo aliud eſt, niſi amare quod diligendum eſt: Id enim eligere prudentia eſt; nullis inde averti moleſtiis fortitudo eſt, nullis illecebris temperantia eſt; nulla ſuperbia, juſtitia eſt ec...... & ſi pravitate noſtra a rectitudine Dei longe ſumus; rectum amando, corrigimur; ut recto, recti adhaerere poſſimus. Principium ergo Iuriſprudentiae naturalis illud exiſtimandum ex quo quid, & quomodo amandum ſit cognoſcere, & determinare poterimus. En igitur principium noſtrum.

CXIV. Summum, Æternum, Incommutabile Bonum amandum, commutabilibus tantum adhibitis veluti media ad incommutabile obtinendum. Hoc eſt = Deus amandus atque ex illius amore Creaturae diligendae ſunt. = Sa primier loi qui eſt l'Eſprit de ſa Religion, eſt celle qui lui comande la recherche, e l'amour de ce ſouraine bien, ou il doit s'élever de tout le forces de ſon eſprit, e de ſon coeur, qui ſon faits pour le poſſeder. =

CXV. Haec primaria lex caeterarumque omnium fundamentum, aliam legem in ſe continet, qua Homines mutui amoris vinculo ſeſe complecti, & perenni officiorum viciſſitudine inſimul vivere tenentur. = Quid, inter ipſos homines ex Dei amore nullum amoris vinculum eſſe debet? Imo vero ita debet, ut nullus certior gradus ad amorem Dei fieri poſſe credatur, quam hominis erga hominem charitas: ἀδύνατον eſt enim ſingulos homines ad comunem felicitatis finem Dei nempe poſſeſſionem, atque unionem amando properare, quin mutuo inter ſe vinciantur amore. Imo quo fortiori impulſu ad officia ſocietatis cuſtodienda, quam ſibi cum caeteris comune agnoſcere principium, & finem, Patrem, & Dominum? Qui melius aliorum perfectioni ſtudere, quam alios ex amore ſummi boni, ad ejuſdem boni amorem perducere?

CXVI. Conſtat ergo ex laudato a nobis principio, Legem ſocietatis pendere. Si enim omnes ſub uno Deo Patre cognati ſumus; ſi ergo eum diligamus, & faciamus voluntatem ejus; invicem nobis erimus, & Patres cum nobis conſulimus, & Filii cum invicem obtemperamus: & Fratres maxime cum ad Patrem, qui teſtamento ſuo, ad unam haereditatem vocavit, ex recto amore properabimus.

CXVII. Neque fieri poteſt, ut ſeipſum, qui Deum diligit non diligat: ſiquidem ille ſe ſatis diligit, qui ſedulo agit ut ſummo, & vero perfruatur bono; quod ſi nihil eſt aliud quam Deus, ſicut ea quae alibi dicta ſunt docuerunt, quis cunctari poteſt, quin ſeſe amet, qui amator eſt Dei.

CXVIII. Ex his principiis, alia Iuris naturae praecepta manifeſto colligi poſſunt. Pudeat ergo illos omnes, qui vel ſola traditione, vel ſola revelatione; vel probabiliter tantum praecepta naturae nobis innoteſcere exiſtimant; nam quiſque dummodo ſe ipſum excutiat, &

re-

Digitized by Google

redeat ad Cor, talia praecepta evidenter cognoſcere poteſt: imo inexcuſabilis redditur ſi ea ignoret.

CXIX. Haud tamen pernegamus in multis mentem haerere ſuſpenſam. Quibus in circumſtantiis, hanc doctrinam ſequendam eſſe defendimus. Non quaecumque opinionis probabilitas ſufficere debet, ut morem ei geramus; quin imo, ſi duae aeque probabiles opiniones pugnent inter ſe; ei abſolute adhaerendum quae favet Legi; quod praeſtandum magis eſt, ſi opinio favens libertati minori fulciatur probabilitate. Cum autem non ex inconſulto rigoriſmo, & pharizaico zelo actiones noſtrae dirigendae ſint, ſi opinio minus tuta vere ſolideque prohabilior ſit, altera tutiori, jure probabiliorem practicè amplecti poſſe exiſtimamus.

CXX. Injuria prorſus Proteſtantes Eccleſiae Romanae, Probabiliſmum, quod tantum Scholaſticorum eſt, exprobrant.

CXXI. Cum univerſalem Juriſprudentiae theoriam declarare propoſuerimus, peculiaria arcana haud exponenda a nobis ſunt.

ARTICULUS VI.

De Iuriſprudentia poſitivo Divina, Veteri, & Evangelica.

CXXII. JUriſprudentia poſitivo Divina, quae in ſacrorum Bibliorum codicibus veteris, ac novi Teſtamenti continetur; homini in hac vita degenti pro recta morum inſtitutione, & ultimi finis aſſecutione neceſſaria eſt. Illi quos nobis dedit natura igniculi, nonne celeriter pravis moribus, depravatiſque opinionibus reſtinguuntur? Neque a ratione, quamvis nos doceat Deum colendum eſſe, tum externi, cum interni veri Dei Cultus natura determinatur: multoque minus ſola ratione, quomodo poſt ſcelera Deo reconciliemur, detegere poſſumus; atque tandem fruſtra a natura auxilia perquirimus, ad virtutem ſectandam neceſſaria: ſed ſine iſtis impoſſibilis redditur finis aſſecutio; neceſſaria ergo fuit Juriſprudentia poſitivo Divina, quae nobis haec omnia praeſtat.

CXXIII. Apud nos extare hanc Juriſprudentiam poſitivo Divinam certo ſupponimus; & quaedam tantum delibanda per quae tum veteris cum Evangelicae Juriſprudentiae natura clarius cognoſcatur.

CXXIV. Lex Vetus ſive Moſaica, ſancta eſt, mandatum juſtum, & bonum Angelorum miniſterio Moyſi tradita. Haec ſubinde in Prophetarum Libris, Pſalmis Regis David; & maxime Sapientialibus declarata fuit.

CXXV. Horum Librorum ſanctitas jam ſatis demonſtrata fuit adverſus pervicaces viros. Nos ſolummodo audaciam Domini de Voltaire retun-

Digitized by Google

retundimus; aſſerendo Librum Eccleſiaſtae divino ſpiritu concinnatum fuiſſe, ſanamque morum doctrinam continere.

CXXVI. Legis veteris praecepta in tres Claſſes diſtinguenda, alia enim ſunt immutabilia, aeterna, univerſalia, quae mores abſolutè reſpiciunt: alia Ceremonalia, modum colendi Deum determinantia; & Iudicialia, formam Iudaicae Reipublicae quae ad Chriſtum ordinabatur ſtatuentia.

CXXVII. Iudicialia praecepta, Chriſto jam veniente, & Iudaicae Reipublicae mutato ſtatu, vim obligandi amiſere. Cum autem illorum obſervatio abſolutè non praejudicet fidei veritati; idcirco aliquis Princeps veluti formae ſui regiminis congruentia poſſet, adoptare: minime vero tamquam habentia vim obligandi ex veteris Legis inſtitutione: haec enim ratio obſervandi mortifera foret.

CXXVIII. Ceremonialia praecepta, quae Sacrificia, Sacramenta, & Obſervantias reſpiciebant ſancta quidem fuerunt; ſed utpote umbra futurorum, idcirco abroganda in illius adventu, quem praefigurabant: Imo ſicuti idem eſt Ceremonialium efficaciam aſſerere poſt Chriſtum, ac deſtruere fidem in Chriſtum; idcirco mortifera evaſit Ceremonialium obſervatio.

CXXIX. Celeberrimam de tempore, quo mortifera cepit eſſe Legalium obſervatio, controverſiam, ſequenti ratione dirimendam putamus. Ceremonialia, cum Lege Evangelica commiſcere, veluti neceſſaria ad ſalutem, ſtatim a morte Chriſti mortiferum fuit: in obſequium autem Legis Moſaicae, & ne Evangelii progreſſus retardarentur aliquandiu permiſſum fuit ea complere; quoto vero tempore, impoſſibile eſt determinare, cum id a mutabilibus locorum, Perſonarum, & temporum circumſtantiis petendum ſit.

CXXX. Praecepta Moralia ſicuti ante Legem, ita & modo ſcripta deferunt homines in Cordibus ſuis: idcirco Evangelium per quod Lex adimpleta eſt, decem Decalogi, praeter alia praecepta, atque ſubliniora conſilia, continet.

CXXXI. Evangelium igitur contra ac ſenſere Heterodoxi homines praeter fidem, veram legem ſervandam nobis proponit.

CXXXII. Lex Evangelii nedum nuda praecepta, ſed ſupernaturalem fidei virtutem, & gratiam interius ſanctificantem, quae nobis dat velle, & perficere, continet.

CXXXIII. Lex Evangelii quae uſque ad finem mundi perduratura eſt; nedum hominem inſtituit circa internos animi motus, ſed etiam circa exteriores operationes.

CXXXIV. Quamvis ſublimiora ſint opera virtutis ad quae nos vocat Lex Evangelica; ſicuti ad ea nos movet, perducit, per gratiam cordibus noſtris infuſam; ideo veteri Lege ſuavior; Jugum ſuave, & dulce; efficit enim, ut perfecto amore, id quod praecipit adimpleamus: obtemperantibus enim Evangelio adeſt profecto Spiritus Sanctus,

Digitized by Google

ctus, qui in exterioris hominis corruptione, interiorem renovat de die in diem, & guſtata requie ſpiritali, in affluentia deliciarum Dei, in ſpe beatitudinis futurae, omnia praeſentia demulcet aſpera, & omnia gravia relevat.

CXXXV. Sicuti a Lege Evangelii excludenda non ſunt praecepta, ita cum de illius ſuavitate diſſeritur, ab Evangelio ſejungenda non eſt gratia, quae per fidem in Chriſtum ſervatoribus Evangelii tribuitur. Lex enim Evangelii principaliter continet ipſam gratiam Spiritus Sancti: quod ſi in veteri teſtamento Lex extrinſecus eſt poſita, qua injuſti terrerentur; hic, ſcilicet in novo teſtamento, intrinſecus data eſt, qua juſtificarentur.

CXXXVI. Eo reſpiciunt ſingula Juriſprudentiae Evangelicae praecepta; ut contemptis terrenis, & commutabilibus bonis atque oblectamentis, huius ſaeculi anguſtias ſpe futurae retributionis naviter generoſeque perferentes, Incommutabili bono adhaerere curemus.

ARTICULUS VII.

De Iuriſprudentia poſitivo humana, Civili, & Eccleſiaſtica.

CXXXVII. Sicuti ex indemonſtrabilibus ſpeculativis principiis diverſarum ſcientiarum Theoremata determinantur, quorum notitia nobis innata haud eſt, & per rationis induſtriam unice declarantur: ita cum homo tantum participet Legem aeternam ſecundum quaedam comunia principia, non autem ſecundum particulares directiones ſingulorum, idcirco neceſſe eſt, ut ex univerſaliſſimis Legis aeternae praeceptis ad aliqua, quae maxime a mutabilibus pendent circumſtantiis, pro comuni ſocietatis bono, magis peculiariter diſponenda, ratio procedat. Scilicet ut homines ad comune officium revocentur, & publica Civitatis pax conſervetur; quae jure aeterno ſocietatis Regimini invigilant Poteſtates, Leges ſtatuunt, per quas homines in datis locorum, temporum, & Perſonarum mutabilibus circumſtantiis cognoſcant quid agendum, ut ſocietatis conſulant incolumitati.

CXXXVIII. Auguſtinus Legem temporalem appellat, normam quae jubet, metuque coercet homines ut in utendis temporalibus bonis, quemdam modum teneant, aptum vinculo Civitatis, nempe eo jure poſſideant, quo pax, & ſocietas humana ſervetur, quanta in his rebus ſervari poteſt. Haec eſt realis & adequata Legis humanae definitio; ſed quia non apud omnes vulgata; idcirco alia definitio apponenda.

CXXXIX. Lex temporalis, ſive humana, eſt norma ſummi Imperantis ſanctione quadam poenali munita, actiones ſubiectorum ad

Decus

Digitized by Google

Decus utilitatemque Reipublicae componens, in iis caſibus Lege aeterna non expreſſis, ut veluti major cuſtodia circumponatur Legi aeternae.

CXL. Inter caeteras rationes ob quas Lex humana, & temporalis a Lege differt aeterna, has aſſignamus. Lex aeterna primo & per ſe reſpicit actiones omnes natura bonas, malaſque, internas, ac externas; Lex vero humana non omnes ſed praecipue moderatur actiones quae bonae ſunt vel malae, quatenus in datis circumſtantiis vel ſocietatis conſervationi conducunt; vel ipſi repugnant Hinc ſicuti Leges aeternae immutabiles nulla preſcriptione abrogandae, nulli obnoxiae diſpenſationi: ita Lex humana, ſi variatis circumſtantiis mutationem ſubierit Reipublicae ſtatus; aut exigente majori ſocietatis bono, quamvis juſta, commutari per tempora juſte poteſt. Lex aeterna ulciſcitur peccatum internamque malitiam: Lex temporalis potiſſimum poenas ſtatuit ad improbitatem coercendam actionum, quae vinculum pacis perturbare poſſent. Hinc etiam Legibus aeternis ex quarum violatione ſuboriretur ſocietatis perturbatio, ſanctionem paenalem adjungit.

Lex aeterna tam late patet quam ipſa ratio; Lex humana cuique ſocietati propria eſt: imo quia leges humanae eatenus tantum inſtar generalium concipiuntur, quatenus id Reipublicae ſalus requirit: ii quibus Legum adminiſtratio commiſſa eſt ſecum reputare debent, an & quatenus exceptio locum habeat; ne cui injuria inferatur.

CXLI. Patet Legis humanae indoles, atque natura. Haec vero Lex ſi ab eo exoriatur qui Politicae Comunitatis curam habet, vocatur Civilis; ſi vero ab eo qui Eccleſiaſticae Reipublicae moderator exiſtit, dicitur Canonica, ſive Sacra.

CXLII. Veluti utriuſque Regiminis deſtructores habendi ſunt Waldenſes, Wicleffus, Lutherus, Melancton, atque Calvinus, pernegantes Superiores, tum Civiles cum Eccleſiaſticos condere poſſe leges circa ea quae jure Divino praecepta non ſunt, quae Coſcientiam obligent; nam ſi jure aeterno & divino ſtat utraque Poteſtas, ei reſiſtere idem eſt, ac ordinationi Legis aeternae Divinae reſiſtere; quod non ſine gravi delicto, aut ſine ſacrilego facinore fieri poteſt. Tenemur ergo Legibus ſive Eccleſiaſticis ſive Civilibus obtemperare non ſolum propter iram, ſed maxime propter Coſcientiam.

CXLIII. Imperantis, Poteſtatiſque terrenae Leges eo maxime reſpiciunt ut fiat quod ad Civitatis utilitatem pertinet, & quod ipſi contrarium eſt omittatur: Hinc etiam leges ſtatuere ad Divinas, & Eccleſiaſticas promovendas, tamquam defenſores, ac vindices Eccleſiaſticae poteſtatis, poſſunt; ut ita bono Reipublicae conſulant.

CXLIV. Non ideo quaedam honeſta, vel juſta habenda, quia de iis omnino ſilent Leges Civiles, Cum enim Lex Civilis, multitudini proponatur; idcirco haud prohibentur omnia vitia a quibus abſtinere

Digitized by Google

re perfectae virtutis eſt; ſed graviora, & praecipue quae in aliorum nocumentum vergunt, ſine quorum prohibitione conſervari ſocietas humana non poſſet. Ut hoc ita ſit, quam anguſta innocentia eſt ad Legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam Juris regula? Quam multa Pietas, Humanitas, Juſtitia, Liberalitas, Fides exigunt, quae omnia extra publicas tabulas ſunt.

CXLV. Imo neque Legum Civilium beneficio uti ſemper licito poſſumus; quin honeſtatis, beneficientiae, atque juſtitiae jura violemus. Vel enim dantur Leges quarum praeſcriptio in datis circumſtantiis amplius juſta non eſt; vel quamvis Juſta, Ei tamen adhaerere juſtum eſſe non poteſt: Idque repetendum, quod

Non Praetoris erat ſtultis dare tenuvia Rerum
Officia, atque uſum rapidae permittere vitae.

CXLVI. Legum Civilium conditio demonſtrari haud poteſt, antequam forma Civitatis inſtituendae non pateat. Cum noſtri inſtituti non ſit, niſi principia Legum oſtendere; idcirco declarata Legum Civilium origine, exiſtentia, atque natura; omittimus ea quae hiſce anguſtis limitibus comprehendi haud poſſent, propter diſciplinae dignitatem rerumque amplitudinem.

CXLVII. Paſtores Eccleſiae, auctoritate, poteſtate, ac Magiſtratus propria juriſditione praediti ſunt; Legeſque propterea aut conſtitutiones quibus Fideles obligentur, teneantur, ferre poſſunt.

CXLVIII. Creſcente Fidelium numero per varias Eccleſias primo ad diſciplinae formam inſtituendam ab Apoſtolis; deinde vero ad jam firmatae conſervationem; vel prolapſae reſtaurationem, vel a Romano Pontifice omnium Eccleſiarum capite, & Chriſti, ſicuti Petrus in Terris, Vicario, vel ab Epiſcopis Eccleſiarum in Conciliis congegratis, aut in ſuis Diaeceſibus exiſtentibus, Canones inſtituti fuerunt; quibus Fidelium mores ad Evangelicam doctrinam exigerentur. Hae Leges in unum Corpus collectae Canonicam Juriſprudentiae partem conſtituunt.

CXLIX. Igitur Scripturarum, Traditionum, Conciliorum, Summorum Pontificium Conſtitutionum, Patrum, atque Eccleſiaſticae Hiſtoriae eſto patiens Lector; ſi huius Juriſprudentiae partem probe noviſſe exoptas.

CL. Totius Juriſprudentiae univerſaliora principia expoſuimus; adſit Omnipotens, ſine cujus gratia, nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo, & amando, ſive agendo faciunt homines bonum: ut quemadmodum recte ad virtutem inſtituti ſumus; ita ſequi illam in hac vita poſſimus; ut tandem ultimo fini, incommutabili Bono in aeternum adhaereamus.

19 33690

Digitized by Google